

וּקְרָא שְׁמוֹ פֶּלֶא יוֹעֵץ אֶרֶץ גְּבוּר אֲבִי-עַד שֶׁךְ שְׁלוֹמִים:

Quæ hoc sensu a quibusdam versa sunt: *Et nominabit eum, mirabilis, consiliarius, Deus fortis; patrem æternitatis, principem pacis*: Quia — in vocem גְּבוּר fortis incidit, reliquæ omnes — — — respectu — — — minores sunt, existimant omnes illas voces iudicio logico esse in unum membrum colligendas, & non pro nominibus Filii denominandi, sed Dei appellantis habendas. Quam Interpretationem Judæi & Sociniani ambabus amplectuntur. Sed meminisse debuissent illi accentuum doctores, Jesaiæ verba in formulam proœmialem & effatum esse divisa, & accentuum Auctorem eam tenere consuetudinem, ut, quoties proœmialis formula nullum plenum sensum sistat, ille etiam in ea non subsistat; sed maximam distinctionem in partem sequentis effati projiciat, quod ex Jes. XLIX, 4. patescit.

וְאֲנִי אָמַרְתִּי לְרִיק יִגְעַתִּי לְתוֹהוּ וְהִבַּל כְּתִי כְלִיתִי:

*Et ego dixi; in vanum laboravi, ad inanitatem & vanitatem vires meas consumpsi.* Ubi maximus accentus non in אָמַרְתִּי dixi, quod Logica requirit; sed in partem effati יִגְעַתִּי laboravi, incidit. Si mihi objiciatur accentus — in פֶּלֶא Mirabilis, alium sensum requirere; respondebo hunc — esse minorem quam — frequenterque eum sequi, si servus intercedat, uti Jes. XXIX, 4. observamus.

: וְהָיָה כְּאֹזֶן מֵאֶרֶץ קוֹלְךָ. *Et erit sicut loquentis ex terra vox tua.* Evolve si placet Num. IV, 7. ubi eadem accentuum consecutio reperitur. Quoniam vero in nostro Jesaiæ loco nulla vox servo afficienda prostat, ut excidat servus necesse est, eodem modo prout in aliis accentibus idem fieri deprehendimus. Si denique defectus subjecti appellantis urgeatur, qui necessario adest, si omnia illa nomina Christo tribuantur; in promptu est responsio: Omnibus enim, qui vel primis labris fontem Israelis gustarunt, notum est, quod frequentissime subjectum appellans subintelligatur. Vid Glass. L. III. Tract. III. p. m. 816. seqq. Possent hæc omnia prolixius deduci, nisi id scopi nostri ratio prohiberet, sed existimo æquos rerum æstimatores accentuum officium ex his paucis esse perspecturos, nec illis omnem in scripturæ interpretatione usum cum Clarissimis viris Clerico, Vitringa aliisque denegaturos. Uti Rhetorum commata, cola & puncta in pronuntiatione adhibita diversa sunt ab illis, quibus periodus Grammatica distingvitur; Sic Hebræorum Accentus quoque a Grammaticorum distinctionibus distingvuntur. Id enim accentuum Auctor mihi egisse videtur, ut jucunda quadam modulatione, Judæis æque ac Christianis hodie ignota sensum scripturæ proponeret. Ut vero discrimen inter hodiernam periodi interpunctionem, & illam Judæorum versus accentuationem, evidenter pateat, locum subjiciam cujus Hebræa verba Sillukis, Latina